

habita *Disputatione inaugurali*, de *Judeorū Excommunicatione*, sub *Excellentissimi Dn. D. Opitii Prasidio*, magno cum applausu, solenniter e-
osdem obtinuit. *Honoris iste Gradus arduus ad labores fuit impetus.*
Ductus igitur ad *Cathedram superiorem* mox, tanquam *Præses*, ean-
dem conscendit, & *Positiones quasdam Philologicas* publice defendit.
Specimen hoc primum mox alia peperit, & bonæ mentis *Cultores* in
ejus *Collegia* traxit. Sic *integrum Philosophiæ cursum* suis *Auditori-*
bus, magno cum fructu, proposuit, & ipse *majora suæ perfectio-*
nis incrementa quæsiuit. Neque copia defuisset in tradendis, &
privatim proponendis iis, quæ *Sacrosanctæ Theologiæ studium* concer-
nunt, cum *Eidem* ad ejusmodi fructuosa *Exercitia Specialis Vener.*
Facult. Theologica consensu, maxime quoad *Homileticæ*, viam omnē
lubens aperiret; Verum *divina Pronæa* cursus ejus alio destinabat.
Nam ex *autoritate Summorum Patronorum*, & *voluntate Dilectissimorū*
Parentum, ex locis exteris ad *Academiam Patriam*, & *primam Studio-*
rum Matrem, Wittebergam suam, revocabatur. Reversus igitur ad
nostras *Musas* non minorem ad *majora contentionem* eunctis
manifestavit. Statim *industriæ veteris* indicia fecit, & ut etiā in hac *A-*
cademia campum amplissimū *studiorum, laborum, Collegiorum, & Di-*
ssertationum publicarum, ex more *Philosophicæ Facultatis* ingredere-
tur, mox habita *Disputatione Philosophicæ* publica, sub *B. Dn. Baltas-*
Stolbergio, Lit. Græc. Prof. Publ. & Philologo Celeberrimo, pote statem in-
stituendi *Collegia, Disputationesq;* publicas habendi, facilis impetra-
vit, varias *Disputationes* elaboravit, & ex desiderio *Studioforum*
publicavit, in primis de *Tempore Paschatis ultimi Christi*, *Dissertatio-*
nem Historicam, & de Necessitate Hypotheticæ, Philosophicam edidit, &
longe plures in publicam lucem produxisset, nisi *Deo visum* aliter
fuisset. *Hospitem* etiam sibi *B. Dn. Michaelem Waltherum* accuratissi-
me tum in *Theologiæ Collegia*, tum *Lectoria*, tum *Disputatoria*, *Stu-*
diosis proponentem elegit, ut ex quotidiana *Conversatione pru-*
dentiam Theologicam, & ex informatione Tanti Viri solidiorem Theo-
logiam, & in Didacticis, & in Polemicis, addisceret. Et nihil aliud
nunc in votis erat, quam ut in *Scholis Philologicis, & Philosophicis* a-
lios fructuosè doceret, ipse vero *secretiorum Theologiæ* penitus in-
succum, & sanguinem, converteret, & aliquot annos in hac *Acade-*
mia deliciis istis animum suum pasceret. Verum homo proponit,
Deus disponit. *Fama HEROLDI* nostri nō in *terris continenti* man-
ferat,